CAROLUS EUGENIUS
VALPERGA
A MALIONO
VALPERGIENSIS
Ad honeſtam Miſſionem

IN REGIA SCIENTIARUM ACADEMIA

Anno Æræ vulgaris MDCCLXII. Die XV. Julii
Hora VIII. matutina.



AUGUSTÆ TAURINORUM

Ex Typographia FRANCISCI ANTONII MAIRESSE
ſub ſigno S. AUGUSTINI.

PROVINCIA DI TORINO
BIBLIOTECA

PROVINCIA DI TORINO
BIBLIOTECA
Legato Anselmi
OA. - b
784

STIMULUS MORTIS PECCATUM.

DE PECCATIS UNIVERSIM.

I.

CElebris definitio a D. Auguſtino (1) tradita: *Peccatum eſt factum, dictum, aut concupitum contra legem æternam Dei* peccati univerſim ſumpti notionem ſatis clare exhibet: illuſtrius vero peccati actualis, de quo præcipua eſt hujus loci Theologorum Moralium inſtitutio, naturam deſignat. Hujus non una partitio; ſiquidem ob legem jubentem, vel vetantem, cui adverſatur, commiſſionis, aut omiſſionis eſt: ob voluptatem, qua animum delinit, ſpiritale, vel carnale: ob ordinem rationis ad Deum, ad ſe ipſum, ad proximum, quem violat, aliud contra Deum, contra ſe ipſum, contra proximum nuncupatur: ob gradus, quibus perficitur, cordis, oris, aut operis eſſe dicitur: ob conditionem reatus, quem involvit, prout conjunctionem hic, ordinemve hominis cum

(1) *Contra Fauſt. Manich. lib.* 22. c. 27.

Deo tanquam ultimo fine prorſus labefactat, vel hocce ordine ſervato inordinationem quandam duntaxat efficit circa ea, quæ ſunt ad finem, in mortale, & veniale partitur.

I I.

Proxima peccati cauſa voluntas eſt. Hæc tamen potius a bono declinans, quam malum agens peccatum perpetrat; *Neque enim quidquam aliud malum eſt, niſi boni privatio*, inquit (2) Damaſcenus: recte propterea ſentiunt, qui peccati formam nonniſi in privatione rectitudinis actioni morali debitæ conſtituendam eſſe exiſtimant. Ignorantia, cupiditate, malitia veluti cauſis interioribus ad peccandum voluntas inſtigatur. Ignorantia, quæ per ſe ſe interdum peccatum eſt, interior præterea peccati cauſa dicitur; quod mentem ſcientia, vel cognitione privat, quæ ſi adeſſet, voluntas peccatum nollet. Ea ignorantia, quæ expelli ſtudio poteſt, & debet, nec tamen expellitur, peccati, cujus eſt cauſa, gravitatem minuit, quum ex incuria ſubjecti eam diſpellere detrectantis duntaxat enaſcitur; auget vero, quum ex affectu liberius peccandi oritur. Quæ ejici nullo modo poteſt, nec potuit immune prorſus reddit a culpa quidquid legi contrarium ex ea dimanat. Cupiditas commotio quædam eſt, aut quidam appetitus ſentientis impetus, quo animus ad bonorum ſenſilium proſecutionem, vel malorum ſenſilium averſationem præter rectum rationis ordinem permovetur. Hujus veluti partes ſunt concupiſcentia carnis, oculorum, & ſuperbia vitæ, quorum Joannes (3) mentionem facit. Cupiditate motum voluntatis antevertente, eamque ad conſenſum circa illicitum paſſionis objectum inſtigante, peccati ab ea enati gravitas minuitur; non autem prorſus tollitur, niſi quum illa omnino involuntaria, atque vehemens adeo eſt, ut rationis uſum auferat; cupiditate vero voluntatis motum con-

(2) *Lib.* 2. *de Fide c.* 4.
(3) *Epiſt.* 1. *c.* 2.

conſequente, ſeu ſponte a voluntate excitata, peccati, cui cauſam præbet, gravitas augetur. Malitia illa animi perverſitas eſt, qua hic neque ſpeculatus ignoratione deceptus, neque vehementi ullo cupiditatis impetu percitus, conſulto, plenaque deliberatione bonum eligit, cui morale aliquod malum adjunctum eſt. Ex perverſa hac ſcaturigine illorum peccata dimanant, qui, ut inquit Job (4) *quaſi de induſtria receſſerunt ab eo* (Deo ſcilicet), & *omnes vias ejus intelligere noluerunt*; non ſecus, ac qui cupiditates in ſe ipſis provocant, ut dulcius, ſuaviuſque peccent, vel qui, ut ait Salomon (5) *lætantur cum male fecerint*, & *exultant in rebus peſſimis*. Horum autem parum diſſimiles illi ſunt, qui prava ducti conſuetudine, quam emendare nullatenus ſtudent, in peccata dilabuntur: falluntur propterea qui putant ſuorum peccatorum excuſationem eſſe, ſi conſuetudinis hujus cauſa peccaverint.

I I I.

Exterius etiam ad peccandum voluntas malis ſpiritibus quandoque permovetur, qui Deo permittente externa, vel interna peccati incitamenta illi ſuppeditant. His tamen non ea vis ineſt, qua voluntas ad peccandum cogatur. Mundus etiam tum peccandi opportunitatibus, quas præbet, tum vitiorum illecebris, quibus abundat, ad peccandum plerumque ſolicitat. Deſipuiſſe vero dicendi ſunt veteres, recentioreſque Hæretici, qui inter exteriores peccati cauſas Deum O. M. recenſere minime erubuerunt.

I V.

Tria in peccatis diſtinguenda potiſſimum ſunt, ſpecies, numerus, gravitas. Speciem, non ſecus, ac cæteræ actiones ex objectis, circa quæ verſantur peccata ſortiuntur. Hæc propterea ſpecie differunt, non prout diſtinctorum duntaxat Legiſlatorum præceptis repugnant; ſed prout circa ob-

 jecta

(4) *C.* 34. (5) *Prov. c.* 2.

jecta exercentur, quæ præceptis Legislatorum res varias, vel unam, eandemque, diverſa tamen cauſa præcipientium, vel vetantium, diverſiſve virtutibus, aut diſſimilibus unius, ejuſdemque virtutis officiis adverſantur.

V.

Peccata ſpecie diſtincta eſſe nequeunt, quin etiam numero diſtinguantur, aut pluribus ſaltem numero diſtinctis moraliter reſpondeant. Diverſæ ſpeciei peccata, ſive pluribus, ſive uno phyſice actu fuerint perpetrata numericam diſtinctionem ex objectis ſpecie differentibus, circa quæ verſantur, accipiunt. Quæ unius, ejuſdemque ſpeciei ſunt, ex objectis genere ſuo abſolutis, perfectiſque, numero tantum diverſis illam ſortiuntur. Hinc plures phyſice actus nonniſi unum peccatum continent, quum illicita eorum objecta ad unum præcipuum, abſolutumque referuntur, quod illis veluti ſuis inchoationibus complementum, unitatemque in genere moris tribuit: Atque unus phyſice actus plura numero diſtincta peccata involvit, quoties circa plura numero diſtincta objecta, ſuoque genere abſoluta verſatur, aut circa unum, idemque, moraliter tamen ipſe disjungitur. Hæc vero moralis diſjunctio actui ineſſe cenſetur, quum vel malæ voluntatis propoſitum contraria voluntate revocatur, vel quum voluntas, ut alio ſe convertat, ab actu ceſſat, iterumque ad eum redit, tantaque mora inter ceſſationem, & repetitionem actus intercedit, ut poſterior actus unus, idemque cum priori cenſeri prudenti judicio minime poſſit.

V I.

Gravitate etiam peccata inter ſe ſe diſtare res adeo aperta eſt, ut horum parilitatem Stoici primum ratione ſtabilire fruſtra tentarint, eamque ſacrarum literarum teſtimoniis conſonam niſi impie, imprudenterque adſerere potuerit Jovinianus.

VII.

Nemo peccatum proprie perpetrat, niſi turpitudinem actionis, quam eligit, quodammodo animadvertat, atque in eam conſentiat. Ad peccandum vero hoc pacto haud requiritur præſens turpitudinis actionis, quæ ſuſcipitur, animadverſio, aut Dei, ejuſque legis actionem vetantis præſens notitia, vel cogitatio, ſed ſatis eſt ſi pravam eligens actionem, turpitudinem ſuſceptæ actionis animadvertere, & Dei, ejuſque legis actionem vetantis cogitationem, notitiamque ſibi comparare potuerit, & debuerit; quamquam neutrum præſtiterit. Errant hinc qui putant actionem rectæ rationi diſſonam Philoſophici duntaxat peccati naturam, non Theologici offenſam Dei involventis habere in eo, qui Dei, ejuſque legis notitia caret, vel præſentem nullam de his habet cogitationem.

VIII.

Conſenſus ne dum poſitivus, & efficax, ſed etiam negativus, & inefficax in delectationem, quæ oritur ex re illicita cogitata, peccatum eſt, grave, vel leve, prout res illicita delectationem excitans graviter eſt, vel leviter mala, aut prout in hanc cum perfecta, vel imperfecta deliberatione animus fertur. Non hujus tamen per ſe ſe indolis eſt conſenſus in delectationem, quæ ex ſola rei illicitæ cognitione enaſcitur; quamquam & hic ex quibuſdam adjunctis peccati rationem habere queat.

IX.

Calamitoſi peccati effectus ſunt imminutio boni naturæ, animæ inquinamentum, pœnæ peccato debitæ ſuſtinendæ reatus. Lethale peccatum pœnæ nullo unquam tempore finem habituræ reatum in hominem invehere ambigendum non eſt, licet contra reatum hujuſmodi Origeniani, Socinianique obſtrepent.

DE PECCATIS SINGILLATIM.

I.

Septem poſt D. Gregorium ſumma vitiorum capita Theologi recenſent, ad quæ revocant reliqua. Hæc ſunt Superbia, Avaritia, Luxuria, Invidia, Ira, Gula, Acedia. Quamquam vero ex ſingulis hiſce vitiis nonnulla alia, veluti ex ſuis fontibus proxime ſcaturiant, Superbiæ tamen primæ originis omnium ratio competit.

I I.

Superbia inordinata propriæ excellentiæ appetitio definiri ſolet. Hæc genere ſuo lethale peccatum eſt. *Quatuor autem ſunt ſpecies* juxta D. Gregorium (1), *quibus omnis tumor arrogantium demonſtratur. Cum bonum aut a ſemetipſis habere ſe exiſtimant: aut ſi ſibi datum deſuper credunt, pro ſuis ſe hoc accepiſſe meritis putant: aut certe cum jactant ſe habere, quod non habent: aut deſpectis cæteris ſingulariter videri appetunt habere, quod habent.* Ex Superbia profluunt præſumtio, ſeu inanis confidentia negotii aggrediendi, cui perficiendo vires non ſuppetunt, ambitio, aut inordinata honorum, & dignitatum cupiditas, vana gloria, ſeu prava manifeſtationis propriæ excellentiæ appetitio, quæ deinde inobedientiam, jactantiam, hypocriſim, contentionem, pertinaciam, diſcordiam, præſumtionem novitatum parit.

I I I.

Avaritia inordinatus eſt divitiarum amor. Hoc vitii genere non tantum divites, ſed & pauperes interdum ſordeſcunt; quod divitias, quibus carent, prava cupiditate diligant. Avaritia quandoque juſtitiæ, quandoque eſt liberalitati contraria. Quæ juſtitiæ lethale genere ſuo peccatum eſt, veniale vero, quæ liberalitati adverſatur, niſi ſimul refra-

(1) *Lib. 23. Moral. c. 4.*

refragetur & charitati. Ex avaritia teſte D. Gregorio (2) manat proditio, fraus, fallacia, perjurium, inquietudo ad acquirendas, conſervandaſque divitias, violentia, & contra miſericordiam obduratio.

I V.

Luxuria vitium eſt, quo venerea voluptas contra legem naturalem, & Divinam inordinate appetitur, & percipitur. Vitium hoc, e quo cœcitas mentis, inconſideratio, præcipitatio, inconſtantia, amor ſui, odium Dei, affectus præſentis ſæculi, horror futuri naſcitur, lethale genere ſuo peccatum eſt, nec non ſingulari quadam ratione Deo, Chriſto, peccanti, humanoque generi contrarium. Septem ejus ſpecies enumerantur, nempe fornicatio ſimplex, adulterium, ſtuprum, ſacrilegium, inceſtus, raptus, peccatum contra naturam. His abſolutæ luxuriæ peccatis prægrediuntur delectationes moroſæ, deſideria, turpiloquia, aſpectus, tactuſque venerei, quæ omnia lethali culpa haud vacant, quoties ex deliberata appetitione venereæ delectationis legi naturali, divinæque contrariæ originem ſortiuntur; omnis namque vel minima in hoc vitii genere ſuſcepta ex deliberata ratione delectatio ſatis ampla lethalis peccati materia eſt.

V.

Invidia, ſeu invidentia triſtitia quædam eſt ſuſcepta ob bona alterius, non quaſi illa noxam conferant invidenti, ſed quod illis gloriam, excellentiamque ſuam imminui hic arbitretur. Hæc potiſſimum circa ea alterius bona verſatur, quæ vulgo honorifica, atque glorioſa eſſe exiſtimantur. Vitium hujuſmodi lethale genere ſuo peccatum eſt. Ex hoc veluti fonte ſcaturiunt odium, ſuſurratio, detractio, exultatio in adverſis proximi, & in ſecundis ægritudo, prout illa invidentis voluntati reſpondent, iſta adverſantur. Præter

culpam

(2) *Lib.* 31. *Moral. c.* 31.

culpam genere ſuo lethalem, quam perpetrat, qui detractione, aut ſuſurratione alterius famam inique minuit, aut labefactat, hujus, quantum poteſt, reſtituendæ, damnique ex illata infamia enati reſarciendi debito obſtringitur.

V I.

Ira, quæ inter vitia adnumeratur, immoderata cupiditas eſt ultionis in eum ſumendæ, qui injuria læſit, aut læſiſſe videtur; ſi namque cupiditas hæc recto rationis ordine regatur, nedum culpa vacat, verum, & laude digna eſt. Hinc Gregorius (3) ait: *Alia eſt ira, quam impatientia excitat, alia, quam zelus juſtitiæ format. Illa ex vitio, hæc ex virtute generatur*. Ordo autem rationis in ira ſervandus ultionem, atque iraſcentis modum ſpectat: eſt itaque immoderata ultionis cupiditas non tantum ea, qua injuſtam ultionem quis appetit, cujuſmodi eſt cupiditas illius, qui inſontis, vel ſontis pluſquam meruit, aut præter legitimum ordinem, vel non propter rectum finem conſervandæ juſtitiæ, culpæque emendandæ ultionem cupit; ſed & illa, qua in ultione juſta proſequenda quis pluſquam par eſt interius, exteriusve ferveſcit. Ira, quæ circa injuſtam ultionem verſatur, lethale genere ſuo peccatum eſt, non autem hujuſmodi illa, quæ rectum duntaxat iraſcentis modum violat. Juxta diverſos, quibus ira progreditur, motus, diverſæ etiam malæ ejus propagines ſunt. Dum hæc in corde tantum reſidet indignationem, tumoremque mentis, dum pertingit ad os clamores, blaſphemias, contumelias, dum ad facta progreditur, rixas excitat.

V I I.

Gulæ vitium inordinata eſt voluptatis, quæ cibi, potuſque uſu percipitur, appetitio. Hoc vitii genere inquinantur, qui cibo, potuque utuntur, non ut naturæ neceſſitati satisfaciant, ſed ut indulgeant voluptati, quam ex eſculentis, poculentiſque

(3) *Lib. 5. Moral. c. 39.*

tiſque percipiunt. Inordinata voluptatis hujuſmodi appetitio genere ſuo lethalis eſt; in eo autem, qui illius illecebra ita percellitur, ut propter illam aſſequendam ſe ab ultimo fine prorſus avertere minime vereatur, lethale procul dubio peccatum eſt; ſecus nonniſi veniale. Quæ ex illa proficiſci vitia ſolent, ſunt inepta lætitia, turpis ſcurilitas, effrenis garrulitas, aliaque multa non Chriſtiano tantum, ſed quovis ingenuo, liberalique homine indigna.

VIII.

Acedia, quæ in capitalium vitiorum numero ponitur, non corporis ille torpor eſt, quo animus a quovis labore ſuſcipiendo retardatur, non ille languor, quem in exercitio virtutum interdum experimur, ſed triſtitia quædam eſt de bono divino ex charitate diligendo, nobiſque ad æternam ſalutem conſequendam neceſſario, quod ſub mali ſpecie propter adjunctam illius obtinendi, conſervandique laborioſo virtutum uſu, vitiorumque fuga difficultatem obverſatur. Hæc lethale genere ſuo peccatum eſt. Hujuſce generis triſtitiam Gregorius (4) vitiorum averſationis, & oppugnationis bonorum ſpiritualium, rancoris in eos, qui ad bona ſpiritalia provocant, dejectionis animi circa præceptorum obſervatiotionem, deſperationis obtinendi finis ultimi, virium naturalium, quamquam gratia Dei adjutarum diffidentiæ veluti parentem agnoſcit.

(4) *Lib.* 31. *Moral. c.* 17.

DE

DE SACRAMENTO PŒNITENTIÆ.

I.

PŒNITENTIÆ Sacramentum tantæ virtutis, dignitatis, & neceſſitatis eſſe duxerunt SS. PP. ut in eo claram apertamque veræ Religionis notam ſibi videre viderentur; ita ſiquidem ſcripſit Libro Divinarum Inſtitutionum IV. cap. ultimo Lactantius: *Sed tamen quia ſinguli quique cœtus Hæreticorum ſe potiſſimum Chriſtianos, & ſuam eſſe Catholicam Eccleſiam putant: ſciendum eſt, illam eſſe veram, in qua eſt religio, confeſſio, & pœnitentia, quæ peccata, & vulnera, quibus eſt ſubiecta imbecillitas carnis, ſalubriter curat.*

I I.

Porro Chriſtum poteſtatem criminum remittendorum Apoſtolis, & eorum Succeſſoribus dediſſe, teſtimoniis oſtendimus Sacrarum Literarum & Patrum; eamdemque ſe ſe ad omne peccatorum genus extendere; quare capitalibus etiam delictis poſt Baptiſmum remittendis ea uſi ſunt, qui Apoſtolis ſucceſſere Antiſtites & Sacerdotes, ut Chriſtianis non modo monumentis evincitur, ſed ex ipſomet Apoſtata Juliano, in Satyra, quam *Cæſares* inſcripſit, ubi Chriſtiana irridens Sacramenta, Conſtantini filium ita loquentem inducit: *Quiſquis mulierum corruptor, quiſquis homicida eſt, quiſquis piaculo, aut execrando ſcelere ſe ſe obſtrixit, fidenter adhuc adito. Etenim, ſimulatque hac acqua ablutus fuerit, illico ego eum purum reddam. Quod ſi iiſdem ſe flagitiis rurſus contaminaverit, efficiam, uti tonſo pectore, & capite percuſſo expietur.* Expiatio autem, pro ſtylo & more concipiendi Ethnicorum, niſi ſacerdotali miniſterio non perficiebatur.

III.

III.

Laudatam criminum remittendorum poteſtatem Apoſtolis immediate, proindeque Epiſcopis ac Sacerdotibus datam fuiſſe a Domino oſtendimus, non vero prius, immediatius, & eſſentialius toti & univerſali Eccleſiæ, Romano autem Pontifici, Epiſcopis, & Sacerdotibus, ordine hierarchico, miniſterialiter, inſtrumentaliter, & quod ad executionem tantum ſpectat reſpectu ipſius Eccleſiæ, quemadmodum poſt Spalatenſem, & Richerium contenderunt Queſnellianorum Hexaplorum Conditores: quippe, niſi inviſibilem quis & metaphyſicam nobis Eccleſiam obtrudat, quum in univerſa Chriſtianorum Societate non inveniamus niſi oves, & Paſtores, illiſque nulla data fuerit abſolvendi poteſtas, ſequitur, eam ſolis immediate fuiſſe Paſtoribus conceſſam.

IV.

Non eſſe in horum facultate & arbitrio poſitum pacem, & abſolutionem reis graviorum criminum, ſi eos vere ſcelerum pœniteat, negare, adverſus Albaſpinæum, Petavium, & Valeſium, recte oſtendit Cardinalis Orſius, qui prioribus tribus Eccleſiæ ſæculis abſolutionem ejuſmodi, ſaltem in exitu, communiter negatam non fuiſſe, fuſo calamo evincit. Si qui enim tunc etiam a communione eccleſiaſtica rejecti ſunt, ii nobis videntur fuiſſe, qui talem agebant vitam, ut Epiſcopi eos, nequidem inter Chriſtianos recenſendos eſſe exiſtimarent.

V.

Non exteriori tantum in foro, & coram Eccleſia, ſed in foro maxime interiori, & coram Deo, ſacramentalem abſolutionem valere, jure ac merito tuemur. Fallitur ſiquidem ceteris cum Calvinianis Bohemerus, dum in Diſſertatione tertia juris eccleſiaſtici antiqui exſcripto Cypriani loco, ubi S. Pater in Sacerdotis inopia fecerat Diaconis poteſtatem excipiendi exhomologeſim eorum, qui proximi morti erant,

eoſ-

eoſque per pœnitentialem manus impoſitionem dimittendi ad Dominum cum pace; ejuſmodi loco, inquam, exſcripto, ita ratiocinatur: ſupplebat igitur tunc Diaconus id, quod Epiſcopus, aut Præsbyter feciſſent; atqui abſolutio illa a Diacono impertita, juxta Romanæ Eccleſiæ Doctores, erat in foro tantum exteriori; itaque & ea, quam dediſſent, & porro dabant Epiſcopi, & Præsbyteri. At enim vero, quamvis eruditionem ſimulet ac oſtentet Bohemerus, ignarum tamen noſtrarum ſe prodit rerum, dum univerſam hac in re Romanæ Eccleſiæ doctrinam ad interpretationes Albaſpinæi, Schelſtratii, & Natalis Alexandri reſtringit; quum minime eum ignorare oportuiſſet, eſſe inter Catholicos, qui doceant, Diaconos caruiſſe quidem ſemper poteſtate Clavium, olim tamen, ex commiſſione Epiſcoporum, earum uſum & exercitium in neceſſitatis caſu habuiſſe, quemadmodum Jacobus Latomus, Launojus, Rigaltius, Morinus, Dupinus, Gervaſius, Cellerius, & alii contendunt. Hanc juxta hypotheſim totum ſtatim evaneſceret Bohemeri argumentum. Quia tamen, pro effato Divi Thomæ, ea quæ ſunt Ordinis committi non poſſunt, niſi ei, qui habet Ordinem, heinc negamus, verba Cypriani, quæ Diaconos reſpiciunt, ad ſacramentalem Confeſſionem & abſolutionem eſſe referenda.

V I.

Solos namque Sacerdotes, qui præter poteſtatem Ordinis, poteſtatem habent juriſdictionis, idoneos dicimus Sacramenti Pœnitentiæ Miniſtros: quapropter recedimus ab Albaſpinæo docente, Martyres olim, ſi fuiſſent Sacerdotes, a culpa ſimul, & a pœna; ſi vero Laici, a pœnis graviorum criminum abſolvere reos potuiſſe; ſed magis Doduvellum refellimus contendentem, Africanos Martyres pacem omnem, & communionem, pro neſcio quo prærogativæ privilegio, & quodam quaſi Sacerdotio, conceſſiſſe.

VII.

VII.

Sacramentalem abſolutionem præcedant neceſſe eſt contritio, & confeſſio, quarum prior, ſi ſit ex perfecta charitate, hominem Deo reconciliat ante ſuſceptionem Sacramenti, tametſi non ſine ejus voto, quod a perfecta contritione abeſſe in præſens non poteſt. Dum vero loquimur de perfecta charitate, abſit, ut cum illis conveniamus, qui ejus perfectionem ſub nomine puri amoris necquiquam extollentes, eam ſpecifice conſtituunt in conſideratione divinæ bonitatis in ſe abſque ullo reſpectu ad nos, noſtramque ad æternam beatitudinem, & felicitatem. Immo errorem hunc virtuti Spei quammaxime oppoſitum, & a P. M. Innocentio XII. damnatum, cum Boſſueto, & Maſſoulieo, doctrinis præcipue SS. Auguſtini & Thomæ oppugnamus.

VIII.

Reconciliati per contritionem perfectam, adhuc confiteantur oportet, præſertim quod Confeſſio in præcepto eſt; non enim ex aliqua Populi conſuetudine, aut ex inſtitutione Patrum inducta in Eccleſiam ipſa fuit, ſed a Servatore Chriſto, & Apoſtolico ab uſu derivata; proindeque ad obtinendam peccatorum remiſſionem Divino jure neceſſaria.

IX.

Nectarianam equidem Tragœdiam huic oppugnandæ veritati objicere ſolent Adverſarii; ſed omnino perperam; quum tametſi publicam pœnitentiam Conſtantinopoli ſuſtulerit Nectarius, non tamen publicam Confeſſionem, quam nullam unquam eccleſiaſtico præcepto in rerum natura fuiſſe Theologorum præſtantiſſimi arbitrantur. Quippe, etiamſi publicum pœnitendi ritum quandam peccati profeſſionem videri non negaverimus; immo acceſſiſſe nonnunquam publice verbis factam criminum occultorum confeſſionem; ſed quam tamen non ulla Lex eccleſiaſtica præſcriberet, ac ne permitteret fortaſſe quidem, ſed vehemens potius dolor, & pietatis ſenſus

ſus extundere a nonnullis potuiſſet. Quod autem a paucis libere aliquando factum fuiſſe perobſcurius colligitur, id in Eccleſiæ conſuetudinem, multoque minus in ipſius referri Legem non debere cogitamus.

X.

Talis, tantaque eſt ſigilli ſecretæ Confeſſionis obligatio, a jure, & præcepto naturali, divino, & eccleſiaſtico profecta, ut nequidem in periculo boni communis, aut quantacumque in neceſſitate, fas ſit illud violare.

X I.

Quæ ad Confeſſionis neceſſitatem, & ad Clavium poteſtatem pertinent, adeo vera ſunt, ut, in illis vindicandis, nobiſcum prope convenire videantur recentiores Auguſtanæ Communionis Scriptores, Æpinus, Mushardus, Weindnerus, Poltzius, Fechtius, Wernsdorfius, Roſcius, Wilchius, Kromayerus, non veritus appellare Crypto-calvinianos, ceteros ſuæ communionis homines, qui veteri ab errore non recedunt. Verum, ſtatimatque ſacramentali de ſatisfactione agitur, nullum diſcrimen reliquum eſt inter Proteſtantes omnes, qui hac in re nobis opponuntur univerſi, rati ablata ſatisfaciendi neceſſitate, omne everſum iri plurium dogmatum noſtrorum fundamentum. Adverſus ipſos igitur conſtituimus, remiſſa gratis ob ſolum Chriſti meritum, & virtute Sacramenti culpa, & æterna pœna, plerumque luendam remanere pœnam temporalem, pro qua tenetur, & poteſt homo ſatisfacere juxta Sacrarum doctrinam Litterarum, & Sanctorum Patrum, qui de pœnalibus hominum operibus in vindictam peccatorum perpetratis diſſerentes, vocibus ſatisfactionis, redemptionis, compenſationis, aut ſimilibus, uti conſuevere. Quin etiam poteſt unus pro alio ſatisfacere, ſi tamen id juxta præſcriptum Sacerdotis, & Eccleſiæ Præſulum contingat.

Superiorum permiſſu.

AMM. PROV. DI TORINO
№ 15062
BIBLIOTECA
115860